

no mini tuo. Congrua. **S**cripsit autē rex antiochus omni regno suo: ut esset unus populus. Et reliquerunt unusquisque leges suas: et consenserunt omnes gentes secundum uerbum regis antiochi. Et multi ex israhel consenserunt ei: et sacrificauerunt idolis. et conquinauerunt sabbatum. **R** ^{Disrumpam uincula populi mei} ^{dominus. & dispergam omnia mala que induxi super eum.} ^{domine deus ad te sunt oculi nostri ne pereamus.} **V** ^{Ego sum protector tuus.} ^{qui deleo iniquitates tuas.} ^{do mine.} **F E R I A. Q V A R T A.**

Et misit rex antiochus per manus nunciorum iherusalem et in omnes ciuitates iuda. ut sequerentur leges gentium terre: et prohiberent holocausta et sacrificia. & placationes fieri in templo dei: et prohiberent celebrari sabbatum et diem sollempnem.

Et iussit rex conquinari sanctam & sanctam populum israhel: & edificari aras & idola. & immolari carnes suillas & pecora communia: & relinquere filios suos incircumcisos. & conquinari animas eorum in omnibus immundiciis & abominationibus: ita ut obliuiscerent legem & immutarent omnes iustificationes dei: ut quecumque non fecissent secundum uerbum suum morerentur.

Die autem quinta mensis casleu quadragesimo quinto anno edificauit antiochus rex ad abhominandum idolum desolationis super altare dei. Et per uniuersas ciuitates iudee in circuitu edificauerunt aras. & ante ianuas domorum & in plateis incendebant thura. & sacrificabant: et libros legis dei combusserunt igni scindentes eos.

Per uero quecumque inueniebantur libri testamenti dei. et **F E R I A. V.** quicumque obseruabant legem domini. secundum edictum regis trucidabantur. In uirtute sua faciebant hec populo israhel: qui inueniebatur in omni mense in ciuitatibus. **Q**uinta autem & uicesima die mensis sacrificabant que super aram que erat super altare: & mulieres que circumcidebant filios suos trucidabantur secundum iussu regis antiochi. Et suspenderunt pueros a ciuibus per uniuersas domos eorum: & eos qui circumcidebant eos trucidabant. **M**ulti autem ex filiis israhel definierunt se: ut non manducarent immunda: & elegerunt magis